

4
mus, Doctoribus istis, non fuisse certum, ac evidens, multo minus ad finem pertinentens, contractus illos Juri naturali, aut divino repugnare; adeoque juxta eosdem, non esse certum, quod OMNE LUCRUM EX MUTUO, SEU OMNIS USURA Juri naturali, aut divino adversetur; nam controversos contractus nihil differre a mutuo, & usura solemniter concluderunt num. 2.

Num. XXI. Hec perpendant, qui audacter asserunt, non modo certum esse, sed ad fidem spectare, quod Christianis jure divino omne lucrum, omnisque usura vetetur.

VIII. Hec de Broedersen obiter, ut sub disputationis initium ejusdem de usura doctrinam compertam Lector habeat. Ut autem quam enormis sit impostura Doctoribus Lovaniensibus afficta, pateat, & Doctores, & illorum verba sub oculos revoco. Verba ejusmodi sunt, quæ refert ipse Broedersen pag. 935. Postquam enim Doctores Lovanienses statuerunt in recensita Consultatione num. 2. præfatos Censuræ non differre a mutuo, continuo num. 4. hæc adjiciunt. *Convenit autem, quod ab ejusmodi contractibus debentarii essent Fideles meliori, quo possent, modo, cum CERTO SINT CONTRA JUS DIVINUM, ET HUMANUM.* Doctrina, quæ certo est contra Jus divinum, immunis ne deinceps dicenda erit ab hæresis nota? Ad Jus naturale quod spectat, subdunt ibidem num. 5. *An ipsamet usura esset contra jus naturæ, non nisi OBITER discussum fuit, plerisque consentibus, esse verosimilius contra jus naturæ.* Sed legat Broedersen num. 11. ejusdem consultationis, ubi hæc habentur: *Fornicatio, ut passim tenetur, jure naturæ est illicita. Quando tamen in casu particulari adverterentur incommoda, quomodo illud primum dilucide probabitur? Dicet ne Broedersen certum non fuisse anno 1687. Doctoribus Lovaniensibus fornicationem Jure naturæ esse vetitam? Etiam si demonstratio evidens illis non fuisset, quæ evinceret fornicationem, usuramque pugnare cum naturæ lege; propterea ne inferri jure potest, illos*

negasse hæc duo crimina legi naturali adversari? Doctori subtili Scoto non sunt evidentes demonstrationes S. Thomæ, quibus probatur Deum existere; nec illæ, quas promittit Scotus, probantur aliis. An propterea nobis certum non est, ratione naturali Deum esse demonstrari posse? Sed impudentior calumnia apparebit, si, qui sint istius consultationis Doctores, patefecero. Sunt autem Huygens, Steyaerts, Pasmans, Hennebel, Van Espen, quos cum aliis refert Broedersen pag. 934. num. 14. Quibus nota sunt istorum Doctorum opera, intolerabilis est calumnia, quam illis impingit Broedersen. An ex instituto Huygens, Steyaerts, Van Espen, non refellunt usuræ errorem? Verum hæc per transennam de Broedersen dicta sint.

IX. Itaque annis 1687. & 1688. disputatum inter Doctores Lovanienses acriter, essent ne Censuræ utrimque redimibiles usuraria pravitate infecti? Nihil a mutuo differre censuerunt præfati Doctores, atque adeo usurarios, divinaque lege vetitos. Aliqui tamen eorum contra sentiebant a mero sejunctos mutuo, quod lucrum cessans iisdem accederet, ut D. Steyaerts, idque constat ex præfata consultatione num. 6. Pastores Schielandiæ, & Gondæ rationes proposuerunt, quibus Censuræ utrimque redimibiles, aut liciti, aut saltem in hac Patria (inquiunt) tollerari posse viderentur. Alii quippe contendebant, non esse ejusmodi contractus proprie, ac strictum mutuum. Alii defendebant, hujusmodi contractum, quamquam usurarium, atque adeo illicitum, & injustum, tamen tolerandum in fœderato Belgio esse, eo quod Mercatura in illa Patria absque ejusmodi censibus consistere nequaquam posset. Lege ipsum Broedersen pag. 930. & seqq. Non modo in fœderato Belgio, sed in Gallia etiam hoc circiter tempore de usura fervebant dissidia adversus Epistolam, quam Jacobus de Fieux Episcopus Tullensis anno 1679. pro sui Gregis instructione contra usuram ediderat. Prodiit anno 1680. libellus, in quo

quo Molinæi doctrina subdole propugnatur. Titulus illius est: *Factum, ou propositions succinctement &c.* Recusus Libellus fuit anno 1703. Henricus de Bisy, qui in Episcopatu Tullensi successerat præfato Jacobo de Freux, eodem anno die 13. Septembris Edictum edidit, quo errores istius libelli prescribuntur. Et tandem anno 1704. denuntiatus idem Liber fuit supremo Romanæ Inquisitionis Collegio, datusque Theologis, qui perdoctas dissertationes exararunt, pluresque propositiones gravissimas Censuris notarunt: atque die 11. Martii ab eodem Sacro Tribunali non modo præfatus, sed duo alii de usura Libri damnati fuere, quorum alter inscribitur: *Usura explicata, seu de conscientia parata &c.* Tertius: *Consuetudines Anglicæ &c.* Tandem Universitas Parisiensis anno 1717. sequentem articulum definiit sub art. 91. *Sive a pauperibus (quibus non solum mutuo dare, sed etiam erogare sæpe præceptum est) sive a divitibus aliquid ultra sortem exigere, vel intendere vi mutui ad certum, incertumve tempore dati, usura crimen est, naturali, divino, & humano Jure prohibitum.*

X. Anno 1727. recruduit in fœderato Belgio de Censibus utrimque redimibilibus controversia inter ipsos Jansenistas. Hoc quippe circiter tempore Jansenistarum non pauci e Gallia ad Belgas confugerunt, ibique cum aliis Jansenistis fœdere inito, sedem fixere. Schisma, quod Varletus anno 1724. invexit, collatis mutuo viribus fovetur. Cum enim dictus Varletus Babylonis Episcopus suspensus fuisset ab Apostolica Sede, in Belgium se recepit, & propria abusus dignitate, ut a Jansenistis gratiam iniret, Ultrajectinum Archiepiscopatum ob hæresim suppressum redintegravit die 15. Octobr. ann. 1724. Porro quamquam istius Schismaticæ Ecclesiæ unus esset in iis, quæ schisma, hæresimque jansenianam spectant, consensus: tamen interstinum in eadem exarsit bellum super usurarum controversia. Denuo disputari coeptum de rebus utrimque re-

dimibilibus. Usurarios illos declaravit Barchmanus novus Pseudo-Archiepiscopus. Testatur, nullos se institutorum Episcopos, qui ejusmodi contractus se damnatos non sponderent. Jansenistarum plures Censuræ utrimque redimibiles ab usura primum purgare tentarunt confictis titulis, Casuistarum etiam Romanæ Ecclesiæ quorundam auctoritate allegata. Contra pugnant alii, nullumque verum, & distinctum a mutuo titulum in præfatis Censibus reperiri efficaciter demonstrabant. Ad has redegerunt incitas adversarios, ut vel dictos Censuræ damnarent, aut moderatam defenderent usuram. Illi Republicæ, cui usura probatur, metu percussæ, post longas disputationes pedetentim cavillari mutui finitionem, negare pecuniæ sterilitatem, in mutuatore remanere dominium adfirmare ceperunt; & tandem in apertam Calvinæ, Molinæi, Salmasii, aliorumque Protestantium hæreticam de usura doctrinam prolapsi sunt, repugnantibus aliis, & quidem doctioribus Jansenistis, qui pro Catholica doctrina tria edidere opuscula, quorum hi sunt tituli. 1. *Casus Positio.* 2. *Iterata Discussio.* 3. *Appendix ad Casus Positioem.* Si plura de his cupis, lege Opusculum Gallico exaratum idioma, cui titulus: *Memoire sur l'etat present des refugiez françois en Hollande au suiet de la Religion Paris 1728.* Leges etiam Franciscum Lafiteau Episcopum Historicensem in Historia Constitutionis UNIGENITUS. lib. 5.

XI. Indoctiores Jansenistarum plura in defensionem Censuræ utrimque redimibilium vulgarunt opuscula. Præcæteris Nicolaus Broedersen Pastor Delphensis, & Schismaticæ Ultrajectinæ Ecclesiæ Pseudocanicus calamum in hac controversia exercuit anno 1728. Opus in lucem emisit hoc inscriptum titulo: *Tractatus brevis de rebus utrimque redimibilibus.* Ut hos Censuræ licitos evincat, a Molinæo, Calvino, Salmasio cæterisque Hæreticis doctrinam mutuatur: videlicet moderatam usuram, non a pauperibus, sed a divitibus Mercatoribus exactam, non esse a Deo pro-

prohibitam. Adversus hujusmodi scriptum Pseudo-Archiepiscopus Ultrajectinus Barchmanus, cum aliis, ut fertur, pro Catholica Doctrina, opus typis edidit anno 1730. hoc inscriptum titulo: *Dogma Ecclesie circa usuram expositum, & vindicatum occasione recentioris scriptiois, cui titulus: Tractatus brevis de rebus, &c. Simul respondetur ad alias duas Scripturas &c.*

XII. Opus istud, licet hominis Schismatico-Jansenistæ, in iis quæ usuram spectant, non possum digna laude fraudare. Summa quippe eruditione, & perspicuitate Traditionem Ecclesie, Conciliorum, Patrum, Romanorum Pontificum Constitutiones, Theologorum, atque Canonistarum auctoritates adversus usuram promit. Hanc in ipsa Præfatione pag. 3. num. 3., præmittit lamentationem: *Prodierunt e medio Ecclesie finis, immo, quod magis mireris, e Sacerdotali Ordine recentiores Scriptores, qui affirmare non sunt veriti, non omnem usuram, non omne ex mutuo lucrum a Deo reprobari; sed solum oppressionem pauperum, aut violentiam; ita ut ex pecunia, seu Mercatori, seu homini alioquin non pauperi, ad negotiationem, ad domum emendam, aliumve usum ad tempus tradita luxum merito exigi possit. Novellum Dogma tanta fiducia aliquis eorum protulit (Nicolaus Broedersen Tract. Brev. pag. 86.), ut contenderet evidenter probari, tales contractus nequaquam Divino Juri repugnare; & contrariam sententiam, quæ orthodoxorum omnium hædæus fuit, erroris non ferendi instigare auderet, quam si quis tueatur, turbas suscitaret in Republica, atque ex ea exturbandus sit. Nam (inquit) „ exemplum præbuit Ratisbona, ubi quosdam, quia similia in eadem materia prædicarunt, e Civitate propelli oportuit.*

XIII. Hæc sunt plurimum Theologorum pro laxis opinionibus tuendis arma. Si pugnare ratione nequeunt, arte, & politica vincere conantur. Rerum publicarum altum Dominium exaggerare in deliciis habent, rumuculos ferere, ciere turbas, minari Prin-

cipum indignationem, sus deque miscere omnia, nihilque intentatum relinquere, ut erroribus, & laxissimis opinionibus caveant, liberumque incessum eisdem nanciscantur. Hæc, teste laudato Barchmano, præstitit Jansenista Broedersen, cui hoc pacto exprobrat idem Barchmanus pag. 4. n. 4. „ Egregium sane exemplum, & dignum, quod a Catholico homine laudaretur, Lutherani scilicet Doctoris, qui cum sibi in hoc Dogmate innovanti a Symmisticis suis contra dici patienter non ferret, quos rationum ponder e refellere non valebat, eos e Civitate propelli, nihil erubescens obtinuit.

XIV. Nihil hæc justa impropria veritus Broedersen, viribus instauratis, ingens confarcinavit volumen inscriptum: *De usuris licitis, & illicitis. . . . Auctore Nicolao Broedersen Pastore Catholico Romano. MDCCLXIII.* Catholicum larvam ementitur, cum sit Schismatico Jansenista. In hoc suo Opere, cujus specimen infra dabo, hæresim de usura cum Calvino, Molinæo, Salmasio, cæterisque ejusdem sectæ defendit, videlicet, moderatum usuram exactam a pauperibus adversari charitati, & prohiberi a Deo; fecus perceptam a Mercatoribus divitibus. Negat in mutuo transferri dominium, pecuniamque natura sua sterilem esse. Heinc infert, qua ratione ex agro frugifero, domove annuam exigere pensionem licet, eadem ex pecunia Mercatori diviti tradita percipi posse.

XV. Hi sunt errores, quos post Calvinum, Molinæum, Salmasium, aliosque hæreticos adoptarunt Jansenistarum plures. Hæresis quippe de usura a Calvinistis ad Jansenistas, a Jansenistis in ipsam Italiam nostram penetrans, turbas excitavit non leves: Siquidem Italus Auctor libri inscripti *Dell'impiego del danaro*, nuper Molinæi, Salmasii, & Nicolai Broedersen doctrinam adamussim transcriptit. Non aliam usuram improbare scripturas, & Patres, quam immoderatam, mordentem, atque opprimentem, vel a pauperibus, non item

moderatam, & a divitibus exactam, duobus integris libris evincere conatur. Tertio libro omnium Catholicorum principia, quibus usuræ injustitia demonstratur, evertere adnititur. In mutuo transferri dominium, pecuniam natura sua sterilem esse in fabulis habet. Vexillum erigere adversus omnes Catholicos Theologos, Canonistas, Juris consultos gloriæ sibi ducit Vir illustis, qui numquam nec Canones, nec Juris prudentiam, nec Theologiam

professus est. Quin Nicolai Broedersen Jansenistæ & Schismatici (quem tamen Catholicum, & Canonicum appellat) ingens volumen *De usuris licitis, ex illicitis* in Italicam linguam vertit, & in Compendium redegit, ut de usura error facilius, latiusque in vulgus manaret. Hæc hæresis usurariæ origo, progressus, & incrementum. Et hæc sunt errores qui edendæ Pontificiæ DECRETALI EPISTOLÆ viam aperuere, ut mox clarius explicabo.

CAPUT II.

Synopsis Encyclicæ Epistolæ BENEDICTI XIV. Errores in eadem damnati. Comentariorum nostri partitio.

I. Adversus errores, quos Calvinus, Molinæus, cæterique Hæretici invexerunt pro usuræ defensione, nullum Decretum, Constitutionem, nullam hæcenus edidit Romana Sedes. Hæresim in hac materia a Calvino, Molinæo, Salmasio, aliisque Protestantibus excitatam, omnes Catholici Theologi unanimi consensu validissime profligarunt. Quare nulla olim opus fuit Pontificia Constitutione, qua doctrinæ caveretur catholicæ, cum ea penes Catholicos omnes facta testaque fuerit, ne hærente quidem illorum aliquo, aut vacillante; licet laxiores Casuistarum nostrorum non pauci, salvo dogmate, evulgarint propositiones nonnullas, quarum quatuor proscripserunt Alexander VII. & Innocentius XI.

II. Verum enim vero, cum recensitum opus Nicolai Broedersen in Italiam penetravit, nonnullos Catholicos istius controversiæ minus peritos, non quod hi ingenio, sed quod studio, opportuno tempore peracto, careant, in errorem pertraxit; atque ita bellum pro fœnoris defensione excitatum post Calvinum, a Transalpinis Jansenistis in Italiam immigravit. Disputatum acriter utrimque est, & libri editi sunt. Gravis, alexque pleni dissidii fama ad

Pontificis Tribunal pervenit. BENEDICTUS XIV. PONTIFEX SAPIENTISSIMUS, & singulari Divinæ Providentiæ Beneficio nobis datus, licet immensa sollicitudinum multitudine circumdatus, semper ad Ecclesiam Catholicam sibi divinitus commissam præservandam ab erroribus indefesse vigilans, de opportuno adhibendo remedio statim cogitavit, prout in ipsius Epistolæ exordio declaratur his verbis: *Vix pervenit ad aures nostras, ob novam controversiam (nempe an quidam contractus validus judicari debeat) nonnullas per Italiam disseminari sententias, quæ sane Doctrinæ hæc consentaneæ viderentur, cum statim nostri Apostolici muneris partem esse duximus opportunum asserere remedium, ne malum hujusmodi temporis diuturnitate, ac silentio vires magis acquireret, aditumque ipsi intercludere, ne latius serperet, & incolumes adhuc Italiæ Civitates labefactaret. Vel in hoc ipso Epistolæ exordio Pontifex Santissimus malum, quod Italiæ nostræ imminerebat, ob oculos ponit; videlicet occasionem cujusdam contractus, cujus capite superiore memini, nonnullas per Italiam disseminari sententias, quæ sane Doctrinæ hæc consentaneæ viderentur.*

III. Porro, ut universæ Decretalis Epi-

Epistolæ distinctum specimen exhibeam, omni confusione sublata, primum ordinem in controversiæ examine servatum; post Doctrinam Catholicam confirmatam, & errores confixos indicabo. Et, ut a priore initium repetam, Pontifex Summus pro faciliiori concepti consilii executione, eam inivit viam, cui semper Apostolica Sedes institit. Purpuratorum Patrum, Theologorumque Congregationem coegit, cui exortam controversiam nitide luculenterque patefecit. Jussit, ut omni partium studio sublato, rem totam accurate perpendere, & quid sentirent, scripto perhiberent. Ne autem controversiæ decisionem quidquam retardaret, noluit super contractu, qui litterario certamini ansam dederat, iudicium ferri. Cur? Quod PLURA DOCUMENTA NON SUPPETERENT, QUÆ NECESSARIO AD ID REQUIREBANTUR. Prius enim certam de usuris doctrinam firmiter constitutam, perspicueque definitam voluit. Hanc quippe in discrimen vocatam sensit. His paucis perstrictis, quæ ordinem, rationemque in controversiæ discussione servatam spectant, id quod caput est, indicabo.

IV. Secundum itaque Epistolæ caput Doctrinæ Catholicæ articulos præbet, & errores, qui necessaria consecutione inde proficiscuntur. Duo errorum genera in hac Epistola proscribit Pontifex Summus. Alterum claritatis gratia voco *Dogmaticum*; quod scilicet dogma Ecclesiæ adversus usuram recta aggreditur. Alterum appello *Casuisiticum*, quod nempe, salvo dogmate, fucis, & fictis titulis, usuram omnem tegit, ejusque praxim honestat. Utriusque generis errores paucis hic perstringam.

V. PRIMUS ERROR confixus num. 1. mutui naturam spectat. Quemadmodum usuræ, sic & mutui naturam obscurare, & cavillari definitionem nisi sunt scœnoris Assertores. In nostra autem Pontificia Decretali certæ, & perspicuæ mutui regulæ præscribuntur, quibus constitutis, in nihilum occidunt cavillationes Adversariorum.

VI. SECUNDUS ERROR proscriptus eodem n. 1. Epistolæ nostræ communi scœnoris definitioni, quam Theologi Catholici unanimi consensu exhibent, adversatur. Ut enim honestandi scœnoris viam faciliorem sibi aperirent usurarum Patroni, novam usuræ definitionem excogitarunt. Pontifex autem Summus, veram usuræ definitionem a Catholicis semper traditam confirmando, contrariam ab Adversariis noviter investam improbat.

VII. TERTIUS ERROR num. 2. Decretalis damnatus, Hæreticorum Calvinii, Molinæi, Salmasii, Broederseni, aliorumque doctrinam spectat, appellaturque Dogmaticus, quatenus aperte dogmati Ecclesiæ opponitur. Usuram quippe moderatam a divitibus exactam honestari, justamque esse isti defendunt.

VIII. QUARTUS ERROR num. 5. Nostræ Decretalis proscriptus ad alterum genus, nempe ad errorem *Casuisiticum* attinet. Vocatur *Casuisiticus*, quia non pauci Theologi Moralistæ, optimi Catholici, dogma adversus quamlibet etiam minimam usuram propugnantes, omnem sive parvam, sive magnam usuram prohibitam fatentur. At cum viderent passim exerceri contractus, qui re ipsa scœneratitii sunt, bono zelo succensu præservandi Fideles ab usuræ flagitio, quemlibet fere contractum, uno, aut altero conficto titulo, a scœnoris labe purgare studuerunt. Cui falsæ persuasioni ut occurreret Pontifex Summus, inquit Ipse citato n. 5. falso sibi quemquam, & non nisi temere persuadere, reperiri semper, ac præsto ubique esse, vel una cum mutuo, titulos alios legitimos, vel, secluso etiam mutuo, contractus alios justos, quorum vel titulorum, vel contractuum præsidio, quotiescumque pecunia, frumentum, aliudque id generis altericicumque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum ultra sortem integram, salvamque recipere.

IX. Altera Pontificiæ Decretalis pars, sequentia puncta continet. Num. 3. Animadvertitur posse interdum mutuationis contractui titulos aliquos extrinsecos

secos adjungi, quorum causa lucrum perceptum ex pecunia alteri credita, licitum fiat: quoniam non ratione mutui, sed ob legitimum, verumque titulum minime mutuo innatum, seu intrinsicum, sed extrinsecus eidem advenientem exigitur. Item plures alii contractus a mutui contractu distincti occurrunt, in quos distrahi pecunia potest, ut frugifera fiat, humana industria adhibita.

X. Quamquam vero, subditur num. 4. indicati contractus a mutui natura diversi, & propterea ab usura omnino immunes sint, quod mutuum nec apertum, nec palliatum in iisdem concludatur; tamen non propterea exempti ab injustitia dici possunt. Si ex mutuo lucrum captetur, usuræ crimen perpetratur. Qui in aliis contractibus a mutuo penitus diversis æqualitatem non servant, injustitiæ scelus committunt. Si vero ad justitiæ libram contractus peragantur, divitiis, commerciis, & mercatura Civitates, & Regna ipsa floreant. E contrario usura, & injustitiæ, commercia, mercaturam, & Regna ipsa in nihilum redigunt.

XI. Num. 5. Principium in hac controversia capitale, & summa consideratione perpendendum constituitur, & definitur: videlicet falsam, & temeritatis plenam esse opinionem illam, quæ defendit, semper adesse titulos, una cum mutuo, vel contractus a mutuo se junctos, quorum præsidio, quoties altericicumque pecunia creditur, semper liceat moderatum lucrum recipere. Quem errorem & divinis Litteris, & Catholicæ Ecclesiæ de usuris iudicio, & ipsi communi sensui, naturalique rationi adversari statuitur.

XII. Hæc sunt capita, quæ ut probaret, confirmaretque Pontifex Summus, gravissima severitate omnia in antecessum discuti voluit. Siquidem præter E. E. Cardinalium, & Theologorum studium, IPSA SANCTITAS SUA causam hanc recognoscere, & ultimos difficultatis recessus ingredi voluit. Hæreticorum, & Catholicorum volumina plurima perlegit, utriusque par-

tis momenta serio perpendit, profunde discussit, incredibili perspicuitate, atque dicendi facilitate quid probandum, quidve rejicendum exposuit. Quæ vidimus & audivimus, enarramus. His peractis, puncta, quæ in priore Epistolæ parte contenta descripsi, adprobat, atque declarat omnibus Theologiæ, & Canonum Professionibus, & quod caput est, Sanctarum Litterarum testimoniis, Pontificum Decretis, Conciliorum, & Patrum auctoritatibus quam maxime esse consentanea. Quare Archiepiscopos, & Episcopos admonet, ut sententias in hac Epistola explicatas, tum in Synodis, tum in concionibus ad Populum altius inculcent, nihilque oppositum doceri permittant. Si quis vero parere detrectaverit, pœnis a sacris Canonibus in eos constitutis, qui Apostolica mandata contempserint, obnoxius declaratur. Iterum advertitur nihil in præsens statui de contractu, qui novas has controversias excitavit, nec de aliis contractibus, pro quibus Theologi, & Canonum Interpretes in utramque partem disputant.

XIII. Tertia Pontificiæ Epistolæ pars, quatuor continet monita. Primo Episcoporum, Parochorumque studium excitat, ut Populis usuræ pravitatem a divinis Litteris gravissime improbari demonstrent, suadeantque: technas, & pallia, quibus vitium istud occultari solet, patefaciant: caveant denique, ne super his contractibus, ab iis consilium petant, qui cupiditati omnium malorum radici benigne favent; sed eos consulant, qui saniores doctrinam propugnant. Post Theologos ipsos admonet, magnam Sacræ Theologiæ, Canonumque scientiam requiri, in his quæstionibus definiendis, extremaque, tum severitatis, tum laxitatis vitanda. Antequam sententia dicatur, Scriptores plures, spectata causæ gravitate, examinentur, & potissimum celebriores, illaque eligatur sententia, quæ tum ratione, tum auctoritate magis confirmata apparet. Sententiæ, quæ super aliquo contractu præstantium Virorum

testimoniis fulciuntur, gravibus censuris non notentur, nec in eorundem Authores contumeliæ confingantur: quoniam convicia hæc charitatis vinculum infringunt. Tertio loco dum contractus celebrari debent, utraque pars, clare, distincteque conditiones explicet, pretiumque definiat. Postremum aures iis claudendas Pontifex admonet, qui mussitant, inanem esse hoc tempore de usuris quæstionem. Quin e contrario sicuti olim gravissima semper reputata fuit, ita potiore jure hæc ætate eo est severius, graviusque dispicienda, quo facta sunt acutiora humana ingenia in legibus omnibus laxandis, eludendisque. Hæc universæ Epistolæ imago, levi penicillo adumbrata. Operæ pretium existimavi hanc Synopsis in antecessum sub oculos ponere, ut statim Lector, antequam causam ipsam ingrediatur, puncta discutienda comperta habeat.

XIV. COMMENTARIUM hoc nostrum tribuo in Dissertationes tres. In prima, Doctrinæ Catholicæ capita, & quæ adversus ERROREM DOGMATICUM constituta sunt in hac Pontificia Decretali Epistola, patefaciam. Mutui, & usuræ finitiones, quas Catholici omnes probant: falsas Adversariorum mutui, & usuræ notiones: erronea principia, nempe lucrum perceptum ex pecunia mutuo credita Mercatoribus, prædiorum emptoribus, cæterisque divitibus, qui ex eadem pecunia lucrantur, non esse usuraria pravitæ infectum, dummodo sit moderatum, breviter explicabo. In immen-

sum opus cresceret, si huc adferre vellem Scripturarum, Conciliorum, Patrum, & Pontificum testimonia, quibus Adversariorum principia funditus evertuntur. Verum, quia id præstiterunt viri egregii, ne actum agam, non nisi pauca dabo. Qui plura cupiet, leget Jacobum Gaytte Doctorem Parisiensem, & Canonicum Luconensem, qui spissum Tomum in 4. edidit adversus Molinæum, Salmasium, Authoremque libelli *du Traitté de la pratique des Billets*, Natalem ab Alexandro, Bonum Merbesium, aliosque, quorum meminisse videtur Pontifex Summus in his verbis suæ Epistolæ: *Neque ignoramus quanta sapientia, & gravitate defensionem veritatis susceperint Theologi finitimi illis Regionibus, ubi controversiæ ejusmodi principium habuerunt.*

XV. Altera COMMENTARII Dissertatio Casuistica controversiæ statum exponet, & potissima capita adversus illas opiniones, quæ confitentur dogma Catholicum adversus usuram, illud confictis titulis reapse in nihilum redigunt.

XVI. Tertia tandem COMMENTARII Dissertatio tertiam Epistolæ Pontificiæ partis interpretationem continet. Quæ sint indicatæ laxæ opiniones, quæ controversiam de usura inanem efficiunt, & quibus claudere Pontifex Summus aures admonet, ob oculos ponit. Ea propter sub examen inducam titulos, quos mutuatiæ pecuniæ veluti infitos, seu, ut in Epistola nostra indicatur, *Innatos*, nonnulli comminiscuntur.

CAPUT III.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

„ Non tamen expetivimus ab ipsis, ut judicium ferrent de contractu, qui controversiæ causam initio præbuerat, cum PLURA DOCUMENTA non suppeterent, quæ NECESSARIO AD ID REQUIREBANTUR „

§. UNICUS.

Quam provide, sapienterque Pontifex Summus BENEDICTUS XIV. in hac sua Epistola nihil de contractibus, qui controversiæ causam præbuerunt, decernere in præsens constituerit, & quam prudenter distulerit librorum, qui confixas opiniones continet, damnationem.

I. ANtequam ea, quæ Pontifex Summus in suis Litteris Encyclicis definivit, edissero, lubet nonnulla præfari de iis, quæ prudentissime indicta præterit. Duo hæc sunt. Contractus, qui controversandi in causa fuere: & libri, qui afflictam causam propugnant. Et de primo quidem fortasse non defuerit qui jam similia opposuerint: „ Quid refert in morum controversiis regulas, finitionesque a rebus, quæ disputationibus subjacent, avulsas præscribere? Res ipsæ exequendæ: contractus celebrandi sunt. Illud scire interest, sint ne contractus isti justî, & honesti? Nec enim alio literarium certamen spectavit hæcenus, nisi ut justî, aut injusti contractus, de quibus disputabatur, innotescerent. Hic finis, hic tot certaminum, lucubrationumque scopus. Si nihil de iisdem definitum, immunes ergo illi a Censura exiere. Liciti ergo dicendi. Victores itaque qui illos propugnabant. Denique Antecessores Pontifices, cum de usura exorta controversiæ fuerunt, propositiones, contractusque proscripserunt. Alexander VII. propositionem unam: Innocentius XI. contractum Moha-

træ, duasque alias propositiones. Cur itaque justî, aut injusti declarati non fuerunt contractus, qui controversiæ causam dedere? „

II. Hæc opponi ab iis possunt, qui ignorant omnino, secus ab iis, qui compertum habent controversiæ statum. Damnati olim contractus, proscriptæ opiniones: quia tum nulla inter Catholicos disputatio de dogmatica adversus usuram Doctrina fuit. Contra nunc ipsum Catholicum dogma in discrimen vocatum est. Omnes Catholici hæcenus docuerunt, nemine discrepante, usuram lucrum esse: ratione mutui perceptum. Quæ certissima regula constituta, facile tum erat damnare contractus illos, in quibus aut occulte, aut palam mutuum deprehendebatur, cum lucri accessione. Postquam Catholici nonnulli divinæ Theologiæ profusus ignari Doctrinam Calvini, Molinæi, Salmasii, cæterorumque Protestantium adoptare cœperunt, distinguentes lucrum perceptum ex pecunia credita pauperibus, aut divitibus, solamque usuram nimiam & excedentem, secus moderatam improbantem, fieri minime potuit, ut proscriberetur contractus, nisi prius quid sit, & in quo usura sedem propriam habeat definitur. Cedo. Disputatio oritur, sit ne paries A. rectus, an curvus. Quid pro litis decisione agendum? Amussis eidem applicanda. Bene habet. At si lis fuerit, sit ne amussis ipsa distorta, vel curva, quid tunc? Nonne, hæc facta positione, primum omnium norma ipsa ita recta fiat: necessum est, ut nulla de ejusdem rectitudine restet dubita-

bitatio? Post cum pariete conferenda. Hæc omnia in controversiam nostram exacte quadrant. Disputatum primum de contractibus juxta regulam inter Catholicos certissimam. Reperti communiter fuerunt usuræ pleni contractus ejusmodi. Quid tum scœnoris Patroni? Notionem usuræ, & mutui naturam cavillari, & adulterare studuerunt. Negari cœptum, quodcumque lucrum ex mutuo perceptum usuram constituere: Si enim data pecunia mutuaria Mercatoribus fuerit, honestum lucrum, si pauperibus usurarium: Usuram moderatam a divitibus exactam, licitam: solam usuram nimiam, aut pauperum devoratricem a Deo vetitam docere aggressi sunt. Hæc omnia usurariæ historiæ peritis comperta sunt, & explorata. Ergo rectus ordo necessario postulabat, ut prius quæ sit Ecclesiæ Catholicæ Doctrina certa de usura firmiter constitueretur. Qui enim fieri potest, ut usurarius declaretur contractus, si quid sit usura ignoretur, aut acriter de vera ejusdem notione, & natura disputetur? Ergo non modo prudentissime BENEDICTUS XIV. prætermisissis contractibus disputationi obnoxiiis, Ecclesiæ Romanæ Doctrinam adversus usuram luculenter declaravit, ut Catholicis omnibus rectissimam amulsum, regulamque certam præberet, qua contractus justus ab usurariis discerni queant; verum etiam necessario ejusmodi servandus ordo erat.

III. Accedit, quod contractus præfati discussio longiore tempore indigebat. Quid quod nec ipsi Doctores Lovanientes ut *cap. 1.* vidimus, omnes contractuum *circumstantias*, seu appendices perspectas habuerunt? Conquirendæ itaque notitiæ plures fuissent, facta examinanda. Interim venenum doctrinæ serpit, errores noviter typis proditi ad animarum perniciem grassantur. Si tempus in severiori contractuum examine infumitur, hæreticæ interim doctrinæ virus serpit, mentes Catholicorum pervertit, altioresque radices quotidie agit. Accedit his præsertim temporibus periculum esse, ne

ob maximam negotiorum multitudinem, quæ in dies Apostolicæ Sedi obveniunt, cœptum consilium in nihilum occidat. Hæc omnia longe prospiciens Sapientissimus BENEDICTUS XIV. ut pereclitanti Gregi sibi commissio opportunum, atque efficax præberet remedium, Doctrinam Ecclesiæ luculentissimam exposuit, certamque regulam internoscendi contractus usurarios ab justis, & licitis, quoad citius fieri potuit, patefecit.

IV. Quid ad hæc eruditi oppositores? Omnia bene, inquit: sed cur constituta, firmataque Ecclesiæ Catholicæ Doctrina adversus usuram, sententia in contractum ipsum rogata non est? Quod, reponit Pontifex Summus, *plura documenta non suppetere, quæ necessario ad id requirebantur.* Satin hæc? Si hæc satis minime fuerint, sciant eruditi oppositores, Sedem Apostolicam in morem habuisse, eas dissimulare quæstiones, quæ factorum circumstantiis involutæ sunt; ut Magister *Cano* cum cæteris Theologis animadvertit. Et dum similes dirimit controversias, non nisi post diuturnum, severumque examen, & aliqua urgente necessitate, id præstat. Quod si nec ista sufficiant, perdiscant tandem oppositores, avaros, & propriæ cupiditatis amatores numquam esse contentos. Si contractus usurarum pleni essent declarati, quæ non opponerent? Pius V. Sixtus V. plures usura infectos contractus definiere. Quæ commenta acuti Juniores typis non prodiderunt? De his sermo infra erit. Cæterum cavendus quorundam imperitorum error est; nempe, contractus præfatos ideo posselicitate celebrari, quia proscripsi non sunt. Nam innumeræ sunt Casuistarum opiniones non adhuc damnatæ; nec propterea securæ sunt conscientiarum regulæ. Videndum ergo, num Theologi, & Canonistæ, qui sapientia, & sanctitatis fama cæteris præstant, ejusmodi contractus propugnent; ut Pontifex Sanctissimus in hac sua Decretali admonet. Verum de hoc alibi.

V. Pauca de secundo, quod proponi

livi,

fui, puncto, delibanda; videlicet, Pontificem Summum librorum, in quibus erronea continetur doctrina, damnationem prudentissime distulisse, eosque nunc intactos reliquisse. Quandoquidem ut Libri proscriberentur, ad severiorem revocandi criticem erant: instituendum examen. Longissimi temporis res erat, quod sint fucis, paralogismis, fallaciisque plenissimi. Nec fat erat unum proscribere. Cur enim hunc, secus alterum, si plus, minusve eandem continent doctrinam, licet non omnes eadem eruditione referti sint? Aliquot lingua vernacula conscripti pro usura moderata erupere. Quid de Transalpinis dicam? Si istorum omnium institutum, sollicitatumque examen fuisset, negotium universum infumum abiisset. Ex alia parte proscribi sine examine libri non poterant. Prudentia summa ergo Pontifex Sanctissimus librorum proscriptionem distulit, ut celerius ingravescenti morbo occurreret, Fidelesque ab errandi in re gravissima periculo eriperet.

VI. Accedit, quod Pontifex Summus insita illi clementia, & benignitate, quam justa severitate uti maluit. Quæ Fidelium instructioni necessaria erant præstitit. Quid improbandum, clare aperuit. Libri aliquot pro usura moderata editi, Authores habent clari nominis non modo doctrina, & eruditione insignes, sed docilitate, honestate, atque morum integritate ornatos. Suspiciendum ne, ut Viri præclari Santissimi Pontificis favore, gratia, & clementia abuti velint? Illi ipsi, antequam ad Tribunalia eorundem opera deferantur, eadem corrigent, emendabuntque ad Epistolæ Encyclicæ præscriptum. Si illustrissimus de *Salignac Fenelon*, Archiepiscopus Cameracensis, cujus sapientia, & probitate, tota Gallia, ne dicam universa Ecclesia, splendet, propriis manibus e suggestu coram universo suo Populo librum suum flammis devovit, proscriptionemque incredibili animi demissione tulit; quæ esse dubitatio potest, quin præfati clarissimi Authores,

corriganz quæ viderint a Romana Sede damnata, tam singulari humanitate erga semetipsos adhibita?

VII. Ut ad ultimum quod proposui punctum accedam, Libros, qui pro usura moderata pugnant, silentio præteribo. Unum Transalpinum cum suo interprete Italo, occasione data, refutabo. Is est *Nicolaus Brodersen*, cujus ingens volumen per Italiam impune discurrit, ejusque errores a nonnullis in Catholica Doctrina minus versatis deglutuntur, atque in Italicam linguam nuper versi disseminantur in vulgus. Hæc mihi serio reputanti, talia animum subierunt. Quid? Tam alto ne sopore Italia nostra defixa hærebit, ut nihil reponat adversus hominem, qui sub ementita *Catholici* larva *Jansenismum* occultat? Nobis omnibus silentibus, hominis Transalpini Schismatici, & Jansenistæ immane virus serpet, ac palam grassabitur ad simplicium Catholicorum perniciem?

VIII. Majora tamen accedunt momenta, quæ me vel repugnantem ad refellendum, pro re nata, Auctorem hunc cum suo Interprete coegerunt. Quænam hæc? Jansenianæ factionis Doctores Viri Barchmanus Petit-pied, alique Dogma Catholicum adversus usuram strenue propugnatum, perdoctis scriptis editis adversus tractatum *Brodersen de rebus utrimque redimibilibus*. Vident nunc ingens volumen, quod *Brodersen* contra eosdem edidit anno 1743. ab Italis quibusdam revolvi, commendari, ejusdemque probari doctrinam. Sibi certo persuadent magnam Scriptorum catervam se viros fore ad retundendos hominis Jansenistæ conatus. Ecquid, inquit, fallere hanc spem nostram poterit? Si adeo strenue sectam nostram exagitant, insectantur: si tanto æstu fervent in errores de gratia; quo impetu non irruent in doctrinam usurariam, quæ recta animas inficit, atque enuat? In manibus modo habent hominis Jansenistæ, qualis est *Brodersen*, opus, in quo Doctrina tum dogmatica, tum moralis adulteratur, convellitur, labefacta-

factatur; & in opus adeo perniciosum tametsi Theologi *Schismatico-Jansenistæ* ne unus quidem Itatorum, Hispanorum, Gallorumve calamum stringet? Unde quæso, tam altum silentium? Num inde, quod doctrina *Broedersen* laxa est, cupiditati, & avaritiæ fovendæ valde apta, demulcendis Mercatoribus, & Magnatibus obsecundandis quam maxime consentanea? Quid? Placent ne Libri *Jansenistarum*, dum probabilismo favent, dum *laxissimum* promovent? Catholici ipsi in suspensionem vocantur *Jansenismi Practici*, seu *Rigorismi*, dum opinionem, quæ severitatem quampiam præferat, defendunt; & modo Nicolaus *Broedersen*, qui librum evulgavit, Calvinus, Molinæus, Salmasius, cætero-

rumque hæreticorum erroribus in Dogmate adversus usuram refertum, plausu suscipitur, quia avaritiæ, & cupiditati blanditur?

IX. Talia secum ratiocinari Jansenistas, qui Dogma Ecclesiæ adversus usuram propugnant, ipse inaudi. Quæcum ita se habeant, quis est, qui non videat, quam gravis urgeat necessitas *Broedersen* confutandi? Id tamen ego ex instituto minime præstabo, quod nec tempus suppetat, nec operæ pretium sit. Sed pro re nata præcipua illius hæreticæ doctrinæ capita explodam. Specimen universi operis suo loco ob oculos ponam. Sola quippe sincera errorum expositio, prævalida confutatio est.

C A P U T I V.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

- Peccati genus illud, quod usura vocatur, quodque in contractu
 „ mutui propriam suam sedem, & locum habet, in eo est re-
 „ positum, quod quis ex ipsomet mutuo, quod suapte natura
 „ tantumdem dumtaxat reddi postulat, quantum receptum est,
 „ plus sibi reddi velit, quam est receptum: ideoque ultra for-
 „ tem aliquid ipsius ratione mutui sibi deberi contendat. Om-
 „ ne propterea hujusmodi lucrum, quod sortem superet, illicitum,
 „ & usurarium est.

§. I.

Quæ in hoc Pontificæ Epistolæ Textu præfiantur, quæve improbentur?

I. **D**uo perspicue, eleganterque præfinitur. Unum, in quo usura crimen situm sit. Alterum mutui naturam præfert. Intelligi enim usura nequit, mutuo sublato. Idcirco prius quid mutuum, post quid usura sit, præfinitur. In Synopsi, quam cap. 2. Epistolæ Pontificæ præmissi, plures ex-

rores in eadem proferri afferui. Et ubinam, dicet quispiam, vel unicus in ea proferribitur error? In descripto Textu duo damnantur. Siquidem notiones tum mutui, tum usura, quas Catholici omnes tradunt, hoc in Textu perspicue declarantur, confirmanturque. Ergo necessaria consecutione proscriptæ remanent duæ oppositæ notiones, quas usurarum Patroni proprio Marte excogitarunt, ut Dogma Catholicum adversus usuram penitus everterent. Nemini ergo in mentem veniat, vanum, superfluumque esse mutui, au-

usu-

usura notiones geminas exponere. Quin ab his tota quæstio pendet. Omnes quippe tum Protestantes, tum Catholici usura flagitium detestantur. Dissidium vero est quid usura sit, & ubinam propriam Sedem habeat. Hæc duo autem luculenter, graviterque in hac sua Epistola explicat Pontifex Summus. En quam jejuni controversiæ illi sint, qui nihil definitum, nihil proscriptum in hac Pontificæ Epistola credunt. Porro, ut pro modulo meo omnia in bono lumine ponam, primum certam, communemque mutui notionem dabo: deinde ERRORES, seu falsas finitiones, quas usura defensores commenti sunt, refellam.

II. Illud Lectoribus recorder, me in præfenti Epistolam Pontificam interpretari, atque adeo illa dumtaxat puncta, quæ in eadem continentur, me declaraturum fore. Commentarium ergo Lector expectet; secus integrum de usuris Tractatum Dogmatico-Moralem. Ejusmodi Tractatus doctrina, & eruditione refertissimi plures jam editi sunt adversus Molinæum, Salmasium, *Broedersen*, aliosque ejusdem opinionis. Præstant inter cæteros, ut supra dixi, Jacobus Gaytte Doctor Parisiensis; Natalis Alexander Doctor Sorbonius, Author Operis inscripti: *Dogma Ecclesiæ circa usuram*. Denique Petrus Ballarinus Presbyter Veronensis insigne hoc de argumento Opus lucubravit a tribus jam annis, quod temporum calamitate adhuc typis minime prodiit, sed prohibet tandem ad publicam utilitatem. Legi illud, & exhausta in eo controversia tota est, ut mea præfert opinio. Actum itaque agerem ego, si quæ tot præclari Viri illustrarunt, eadem repeterem. Ea sub examen inducam, quæ ad illustrandam Pontificam Epistolam conferre existimabo.

§. II.

Communis Mutui finitio explicatur.

I. Plura de mutui nomine, ejusque ethymologia scribunt & Theologi, &

Jurisperiti. Pauca eligam, quæ rem ipsam spectant, missis plurimis, quæ solam præferunt eruditionem. Mutuum a mutatione ducunt, quod non eadem, quæ datur res, sed alia ejusdem generis restituatur. Hinc a commodato differt, ut optime explicat vetustus Grammaticus Agrætius apud Jacobum Gaytte cap. 3. *sect. 1. Inter commodatum, & mutuo datum non nihil distat. Commodamus amico pro tempore equum, seruum, vestem, hanc ipsam rem, quam dedimus, recepturi. Mutuo damus pecuniam, triticum, vinum, & his similia, quæ mutata recipi necesse est. Quamquam verum hoc discrimen sit, tamen quia mutuum ad accipientis commodum datur, idcirco evenit, ut mutuum non raro commodatum nuncupetur, ut plura vel ipsius Scripturæ sanctæ exempla demonstrant. Deut. cap. 5. Cave ne forte subrepat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo: Appropinquat septimus annus remissionis; & avertas oculos tuos a paupere fratre tuo, nolens ei, quod postulat, mutuum commodare. Item psalm. 36. Totâ die miseretur, & commodat. Et Ezechiel cap. 18. Ad usuram non commodaverit. Et tandem Luc. cap. 11. Amice commoda mihi tres panes. Quemadmodum autem mutuum commodatum, ita & commodatum mutuum appellari vulgo solet. At ejusmodi vulgares locutiones minime impediunt, quin reipsa hæc duo discrepent, & duo sint contractus omnino diversi; idque apud omnes sapientes, potissimum Catholicos, certum exploratumque.*

II. Mutui ethymologiam inde ducit Paulus lib. 2. ff. de rebus creditis, quod ex meo fiat tuum. APPELLATA est autem mutui datio ab eo, quod ex meo tuum fiat: & ideo si non fiat tuum, non nascitur obligatio. Idem confirmat Justinianus lib. 3. Inst. tit. 14. his verbis. Quoniam nobis non eadem res, sed alia ejusdem naturæ, & qualitatis redduntur; inde etiam mutuum appellatum est, quia ita a me tibi datur, ut ex meo fiat tuum.

III. Licet & Jurisperiti, & Theologi divertis verbis mutui finitionem promant, omnes tamen in eadem rem